



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XXV. Quo pacto sit proprium Dei, esse infinitum per essentiam. ü

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

per se subsistentes, ut quidam de Angelis opinantur, erunt quidem infinitæ secundum quid, in quantum huiusmodi formæ non terminantur, neque contrahuntur per aliquam materiam: sed quia forma creatæ sic subsistens habet esse, & non est suum esse, necesse est, quod ipsum eius esse sit receptum, & contractum ad terminatam naturam. Unde non potest esse infinitum simpliciter.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc est contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum esse eius: quia esse subsistens non est esse creatum: unde contra rationem facti est, quod sit simpliciter infinitum. Sicut ergo Deus, licet habeat potentiam infinitam, non tamen potest facere aliquid non factum: hoc enim esset, contradictoria esse simul: ita non potest facere aliquid infinitum simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod hoc ipsum, quod virtus intellectus extendit se quodammodo ad infinita, procedit ex hoc, quod intellectus est forma non in materia, sed vel totaliter separata, sicut sunt substantiæ Angelorum, vel ad minus potentia intellectiva, quæ non est actus alicuius organi in anima intellectiva corpori coniuncta.

Ad tertium dicendum, quod materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum: unde magis est aliquid concretum, quam creatum. Nihilominus tamen materia prima etiam secundum potentiam non est infinita simpliciter, sed secundum quid: quia eius potentia non se extendit, nisi ad formas naturales.

Explicatio viri quæ articuli.

CONCLUSIO est: Nihil præter Deum potest esse infinitum simpliciter, tamen si aliquid sit infinitum secundum quid. Appellat S. Thomas infinitum secundum quid, quod vocari solet infinitum in potentia. Cumque in his duobus art. quæstio non sit de infinito secundum quantitatem, de hoc enim tractat art. 2. & 4. sed de infinito secundum esse, aut per essentiam, ut patet ex titulo art. 2. & ex 1. argumentum, ipsius, illud dicitur à S. Thoma in hoc art. 1. infinitum secundum quid, hoc est, in potentia, non quod potest sine termino secundum numerum, vel secundum quantitatem augeri; sed id, quod ita habet esse determinatum per aliquam formam, ut fit in potentia ad alias sine fine. Talem inquit S. Thom. in art. 2. esse materiam, quæ licet una tantum forma determinetur ad esse huius, semper manet in potentia ad recipiendum aliam, & aliam in infinitum. Infinitum autem simpliciter non intelligit S. Thomas secundum quantitatem, sed secundum esse, vel essentiam. Conclusio ergo art. 2. sic explicata illustrat conclusionem art. 1. Quare utriusque art. doctrina hac unica propositione potest comprehendi: Ita est proprium Dei esse infinitum

simpliciter per essentiam, & secundum esse, ut alteri rei convenire nequeat. Nam cum in art. 1. inquit S. Doctor Deum esse infinitum, intelligit absque dubio per essentiam de qua infinitate querit in 2. an ita sit proprium Dei, esse infinitum, ut alteri non conveniat. Dubium autem esse non poterat de infinito secundum quantitatem, constabat enim ex q. 3. Deum non esse corporatum, ac proinde nec quantitate præditum.

DISPUTATIO XXV.

Quo pacto sit proprium Dei, esse infinitum per essentiam.

Quidam rationem infinitatis Dei ex infinitis attributis explicant, cap. 1.

Deum esse infinitum, quod esse illius in nullo recipiatur, nonnulli senserunt, cap. 2.

Infinitatem Dei aliqui explicant ex eo, quod non collocetur sub genere, cap. 3.

Duobus alijs modis infinitatem Dei exponit Albertus, cap. 4.

Vera ratio infiniti secundum essentiam est, non esse ab alio, cap. 5.

CAPVT I.

Quidam rationem infinitatis Dei ex infinitis attributis explicant.

Scholastici omnes in 1. d. 43. in conclusione 2. art. consentiunt, asserentes Deum ita esse infinitum per essentiam, ut hæc infinitas nulli alteri possit convenire, imo & Philosophus 3. Phys. c. 4. text. 30. ex mente Anaximandri, & naturalium philosophorum tradit primum principium rerum omnium infinitum esse, sed genus infinitatis illius non explicat, neque Scholastici nostri in eo assignando conveniunt. Enumerabimus igitur singulorum sententias, & postremo nostram subiiciemus. Primum nonnulli recentiores rationem infinitatis secundum esse, quam dicunt, nulli creaturæ, sed soli Deo convenire, explicant ex infinitis perfectionibus, & attributis, quæ Deo assignari solent. Cum enim perfectiones Dei dicantur infinitæ, & ipse etiam Deus infinitus secundum essentiam erit.

Hæc tamen sententia, quo magis vulgaris, & popularis est, eo minus probabilitatis momento fulcitur: nam, ut patebit ex disp. 116. & sequentibus, Dei essentia ita est simplex secundum rem, ut unicam tantum perfectionem essentialem in se habeat, quamvis ratione sola hominis viatoris plures in eo perfectiones, & attributa distinguantur: Nullus autem distinguere valet infinitas in Deo perfectiones: hac ergo sola ratione non debemus infinitatem simpliciter secundum esse, aut essentiam Deo tribuere.

Respondet aliquis, ea de causa Deum esse infinitum secundum essentiam, quod in se fundamentum habeat, ut sine numero perfectiones per intellectum viatoris ipsi assignentur. Hoc tamen responsum refellitur primum, quia non constat, utrum excogitari possint infinitæ perfectiones possibiles in creaturis, quæ secundum se considerata, ita sint simpliciter simplices, ut Deo possint attribui: nam quamvis sint infinitæ creaturæ possibiles specie distinctæ, quod adhuc in opinione positum est: nullus tamen affirmare potest esse infinitas perfectiones possibiles harum creaturarum, quæ secundum se Deo quoque convenire possint: neque enim omnis perfectio creaturarum etiam secundum

cundum analogiam Deo tribuitur: at certissimum est apud omnes, Deum esse infinitum secundum esse: hoc igitur modo ratio infinitatis Dei non satis explicatur.

Deinde aut infinitas Dei in eo consistit ut perfectiones in eo sine fine actu distinguantur; & hoc modo nunquam esset actu infinitus: aut in eo quod fundamentum habeat, ut infinitas in eo distinguantur perfectiones, & hæc infinitas, aut non est simpliciter infinitas, sed tantum secundum quid, si ex multitudine perfectionum expendenda est, aut certe est alius modus infinitatis, qui hæcenus non satis explicatus est.

CAPVT II.

Deum esse infinitum, quod esse illius in nullo recipiatur, nonnulli senserunt.

S. Thom.
Caiet.
Ferrar.
Egidius.
Richard.
S. Thomas
sententia ex
plicatur.

SANCTUS THOMAS, CAIETANUS, & recentiores in his art. & 1. contra gent. c. 43. & Ferrar. ibidem §. Circa istam propositionem. Egidius in 1. d. 43. a. 1. q. 1. & Richardus a. 1. q. 1. alio modo explicant infinitatem Dei: infinitum (inquiunt) idem omnino est, quod non finitum, & limitatum: aliquid autem eo finitum est, quod alio terminatur, & contrahitur. Quare in rebus creatis compositis ex materia, & forma reperitur ratio finiti secundum esse: quoniam materia per formam, & vicissim forma per materiam limitatur; tamen si materia sit quodammodo infinita, quia semel informata adhuc in potentia manet ad alias formas sine fine: qua ratione eam appellat S. Doctor infinitam secundum quid, hoc est in potentia: Licet actu per formam finita sit. Spiritualibus quoque creaturis conuenit ratio finiti secundum esse, non quia in eis materia per formam, & forma per materiam finiatur, sed qui compositæ sunt ex esse, & essentia, & earum esse in essentia receptum ab ea determinatur. Sunt igitur finitæ secundum esse, quia earum esse receptum est, atque eo, in quo recipitur, limitatum: cum ergo Dei essentia sit suum esse, ac proinde eius esse non sit in aliquo receptum, erit infinitum, & non limitatum. Quare ita est Deo proprium infinitum secundum esse, ut nulli creature conueniat.

Hanc rationem impugnat Scotus in 1. dist. 2. q. 2. §. Vltimo ostenditur: in hunc modum. Esse substantialium separatarum est accidens essentiae: Ergo non potest ipsam substantialiter limitare: quinimo arbitrat omne ens finitum siue secundum quantitatem, siue secundum substantiam gradu quodam determinato in seipso prius finitum esse, quam aliquo extrinseco terminetur: veluti primus orbis ratione suæ quantitatis in se finitus est, licet alio extrinseco non finiatur: atque ex eo potius alio extrinseco terminatur, quia in se finitus est, quam e contrario.

Verum hæc obiectio Scoti friuola est primum, quia esse essentiae non est accidens essentiae ex sententia S. Thomæ, ut ipse Scotus falso ei adscribit, sed est actus substantialis illius: quod vero possit ab ea separari, parum interest: nam & forma substantialis separari potest à materia, & tamen non est accidens illius. Secundo, S. Thomas non dixit essentiam terminari per existentiam, sed contra, esse per essentiam, cuius oppositum impugnat Scotus. Tertio, cum assensit S. Thomas eo aliquid finiri, quod alio terminatur, non loquitur de quanto quantitate molis, cui omnino accidit aliquo extrinseco concludi, & terminari, sed loqui-

tur de esse substantiali alicuius rei, & inquit eo ipso esse finitum, quod est in alio receptum. Neque vere existimat formalem rationem finiti secundum esse in receptione ipsa formaliter consistere, sed id, quod natura sua postulat in alio recipi, natura etiam sua finitum esse, & limitatum, priusquam in alio recipiatur.

Ceterum prædicta ratio, qua sanctus Doctor explicare, & probare nititur infinitatis attributum in Deo, difficilis adhuc mihi videtur. Etenim in rebus à materia separatis nihil existimo substantialiter in alio receptum esse: nam essentia, & existentia idem omnino sunt ex natura rei, ut 3. p. q. 17. a. 2. probabitur. Ipse vero res spirituales ex materia, & forma non componuntur, aut ex aliqua potentia, & actu substantiali secundum rem, sed solum ex genere, & differentia per rationem nostram: quæ sane compositio, nisi aliud oblatret, absque aliquo absurdo Deo concedi posset, ut disp. 22. probatum est. Nihil ergo substantiale est in rebus spiritualibus quod alio secundum rem finiatur, & terminetur: quare ratio infinitatis Dei, & finitatis omnium creaturarum alia ratione probanda est.

Dicit aliquis, in creaturis etiam spiritualibus compositionem esse ex natura, & personalitate; personalitatem autem distinguere ex natura rei ab essentia, ut 3. p. q. 4. art. 2. ostendimus. Verum hæc compositio non satis videtur, ut essentia in personalitate, & personalitas in essentia ita mutuo recipiantur, ut hoc ipso substantialiter inuicem limitentur. Nam personalitas solum est modus quidam per se, qui licet terminet naturam, & contrahat, ut sit persona, quæ nulli amplius communicari possit: non tamen videtur illam in se recipere, & substantialiter terminare, ut sit finita secundum esse, nisi ratio finitatis aliunde ipsi conueniat. Deinde non satis perspicuum est, quoniam modo eo quod recipiatur forma in materia, aut esse in essentia, limitata & finita sit secundum esse: quamvis enim ita mutuo determinentur, ut ex ipsis tertia quædam substantia consisteret à quacumque alia distincta: ex hoc tamen non sequitur, rem illam esse finitam, ut falso putauit Ferrar. loco cit. Nam ut optime notauit Alex. 1. p. q. 6. membro 1. ad 3. non est aliquid finitum ex eo, quod distinguatur ab alio, sic enim Deus finitus esset, quia ita est Deus, ut à ceteris rebus distinguatur.

CAPVT III.

Infinitatem Dei aliqui explicant ex eo, quod non collocatur sub genere.

Alij vero infinitatem Dei ex eo colligunt, quia non collocatur sub genere: hæc enim ratione infinitus erit, quia & genere, & definitione caret. Definitio enim teste Arist. 7. metaph. text. 22. terminus dicitur, quod rem, quam definit, terminet, & claudat. Cum igitur Deus non collocetur sub genere atque ita nec definitionem habeat ex genere, & differentia; sequitur infinitum esse. Hoc modo philosophantur S. Thomas 1. contra gent. cap. illo 43. ratione 1. & Ferrar. ibidem, Capreolus in 1. d. 43. q. 1. a. 1. concl. 1. Egidius art. 1. q. 1. Huc etiam spectare videtur id, quod docet Albertus in eadem dist. 1. nempe Deum infinitum esse, quia neque definiti, neque comprehendi potest à nostro intellectu.

Verum hoc modo non satis defenditur infinitas

Ostenditur
difficultas
rationis
S. Thom.

Enaso.

R. fellit.

Ferrar.
Alexan.

Aristotel.

6

S. Thom.
Ferrar.
Capreol.
Egidius.
Albert.

tas Dei secundum essentiam. Primo, nihil obstat
infinitati Dei ipsum collocari sub genere, osten-
sum est supra d. 22. cap. 3.

Secundo, quod attinet ad definitionem, & com-
prehensionem, solum probat, Deum esse supra
omnem intellectum humanum, non tamen esse
simpliciter infinitum: quod enim ab intellectu
creato videri, definiti, aut comprehendi nequeat,
creato conuincit, ab intellectu humano non posse
finiri, & terminari, in se infinitum esse, non satis
ostendit: nam dicere aliquis posset, Deum suomet
intellectu, & cognitione comprehendere, & ipsa de-
finiri, cum à se intelligitur, sicut est. Quod si re-
spondeas, Dei intellectum esse infinitum, & ita
posse suam essentiam definire, & comprehendere,
hoc adhuc probandum erat: infinitas enim intel-
lectus diuini ex infinitate essentiae probanda est.

Tertio cum intellectus creatus possit Deum
intueri clare, & sicuti est, lumine gloriæ sibi com-
municato, ita vt nihil illius lateat, sine dubio ipsa
visione creata definiti potest multo melius, quam
resalie in hac vita à nobis definitur. Et quam-
uis videntes Deum, sicuti est, non dicantur ipsum
comprehendere, nihilominus visio clare ipsius
omnia, quæ sunt in eo formaliter, intralitudi-
nem suæ representationis complectitur. Neque
vero ideo beati dicuntur non comprehendere
Deum, quod aliquid eorum, quæ formaliter in eo
sunt, extra visionem sit, sed quia non omnia, quæ
Deus facturus est, vel facere potest, ex vi visionis
essentiæ Dei cognoscant. Adde ex hac ratione so-
lum colligi attributum incomprehensibilitatis,
non autem infinitatis secundum essentiam, quæ
sane diuersa sunt.

CAPVT IV.

Duobus alijs modis infinitatem Dei exponit Albert.

Albert.

Duplicia via Albert. in l. q. 43. art. 1. probat,
Deum infinitum esse; tum quia caret princi-
pio, & fine durationis; tum quia nullo loco sibi
adæquato concludi potest. Huius sententiæ me-
minit Bonau. in eadem. d. a. 1. q. 2. & refert, aucto-
res illius docuisse, Deum esse quidem nobis infi-
nitum, sed secundum veritatem non esse: quia sibi
ipsi, qui est ipsa veritas, non est infinitus. Comme-
morat vero in hanc sententiam modum illum in-
finitatis ex parte comprehensionis.

Refertur
sententia
Alberti.

Sed quod attinet ad duos alios modos, alterum
ex loco, alterum ex duratione, facile hæc senten-
tia impugnari potest: nam priori modo solum pro-
batur infinitas Dei secundum locum, quæ est im-
mensitas, de qua non est præsens controuersia. Est
enim diuersum attributum infinitatis, de quo nunc
agitur, & immensitatis, de quo in sequenti qua-
estione differendum est. Neque vero ex ratione im-
mensitatis colligitur ratio infinitatis, sed potius
contra. Posteriori autem modo solum probatur,
Deum esse infinitum duratione, hoc est, æternum:
non autem infinitum secundum essentiam, de qua
infinitate nunc sermo est: nam de æternitate, quæ
est aliud attributum, quæst. 10. disputabitur, sicut
etiam de incomprehensibilitate, quæ est aliud at-
tributum ab infinitate, tractandum est infra q. 12.
Mitto plures alias rationes, quibus S. Thom. r.
contra gent. cap. 43. & Scotus q. 2. cit. demonstrare
conantur infinitatem Dei. Ex illis enim solum ge-
neratur colligitur, Deum esse infinitum secun-

S. Thom.
Scotus.

dum essentiam, sed quæ sit ratio huius infinitatis,
non satis explicatur.

CAPVT V.

Veratio infiniti secundum essentiam est, non esse ab alio.

Cum infinitum idem omnino sit, quod non
finitum, ac proinde negationem signis signi-
ficet, omni que negatio ex forma opposita, qua
priuat, dignosci debeat, ratio cuiuscunque infiniti
ex fine, vt pote ex sibi contratio, explicanda est.
Notandum autem primo est, finem hoc loco non
vsurpari pro perfectione, & consummatione ali-
cuius. Sic enim res infinita idem esset, quod im-
perfecta: quo pacto ratio infiniti Deo non conue-
niret; sed finem nunc idem esse, quod terminus,
vltra quem res non extenditur, sed ipso quasi con-
cluditur. Quocirca si constiterit, quid sit finis, &
terminus aliarum rerum, ex qua dicuntur finitæ
secundum essentiam; fiet quoque manifestum, ex
cuiusnam negatione Deus hoc modo infinitus
dicatur.

Primum huius
ratio.

Secundo notandum est, rem aliquam non
quantam finiri posse multis modis, primo defini-
tione, aut cognitione: secundo termino duratio-
nis; tertio termino loci; quarto termino effectus à
se producti, vel qui produci potest. Contra vero
per negationem finis aliquo ex his modis res ali-
qua infinita dicitur: Cæterum, vt ex dictis in hac
disp. constat, nullo ex his modis ratio formalis in-
finitatis Dei secundum essentiam satis ostenditur:
sed aut sola infinitas incomprehensibilitatis, aut
æternitatis, aut immensitatis, aut denique poten-
tiæ, quæ omnes ab essentiæ infinitate distinguun-
tur, vt patet.

9

Tertio obserua, cum omnis effectus à sua causa
accipiat esse, ac proinde intra illius efficacitatem
contineatur, & extra eam egredi non possit, fieri,
vt, quæcunque res ab alia accipit esse, dicatur fini-
ta, & limitata secundum essentiam, habeatque na-
turam participatam, ac proinde finitam, eo quod
per suam causam, à qua pendet, limitetur, & finia-
tur. Quare omnis creatura finita, est secundum
essentiam, eo, quod à Deo perpetuo conseruante
ita pendeat, vt neque ad instans sine illius influxu
esse possit. Contra vero, cum Deus à nullo habeat
esse, aut conseruetur, sed ex seipso sit, nullo fine,
aut termino eius esse, & essentia in genere entis
limitari potest: propria igitur ratio infinitatis Dei
secundum essentiam in eo posita est, vt à nulla cau-
sa habeat esse. Quocirca infinitas secundum es-
sentiam ab alijs recte distinguitur, qui negatio-
nem signis diuersimode, quam aliæ infinitates si-
gnificat, vt ex dictis perspicuum est. Quo fit, vt li-
cet creaturis communicari possit infinitas secun-
dum durationem, vt disp. 177. colligemus, ea ta-
men alio modo, quam creaturis, Deo conueniat.
Nam cum æternitas in Deo, quæ est infinitas du-
rationis fundamentum habeat in infinitate secun-
dum essentiam; efficitur, vt æternitas Deo ab in-
trinfeco conueniat, & ex seipso, creaturis autem
solum per participationem.

Tertio obser-
uandum.

Hunc modum infinitatis secundum essentiam
videtur tradidisse Alexand. 1. p. quæst. 6. m. 1. ad 3.
& 4. Vbi tres modos enumerat, quibus Deus est
infinitus. Primus est, quia ipse terminat alia, & à
nullo terminatur, quia scilicet in omnibus est, quo
insinuare videtur infinitatem immensitatis. Se-
cundus modus infinitatis in Deo est, quia non
perfi-

10
Alexand.

perfectur ab alio: videtur autem intelligere tanquam ab efficienti. Huc etiam spectare videtur id quod aliqui Scholastici, quos disp. 103. referemus, docent, nempe Deum esse infinitæ virtutis, & potentia, non ex eo, quod moueat æterno tempore, sed quod à se ipso, nō motus, nec pendens ab alio. Hoc ipsum docere voluit Dionys. 9. c. de diuin. nom. vbi de magnitudine Dei inquit: *Ac magnus quidem Deus dicitur, tum ex sua magnitudine, quæ se, & cum omnibus, quæ magna sunt, communicat, & per omnem magnitudinem diffundit, atque extendit, locum omnem continet, omnem numerum superat omnem infinitatem transiit: tum ex summa vi, actionisque magnitudine, ac muneribus quæ ab ipso quasi fonte manant.* Hæc Dionys. quibus non solum infinitatem immanitatis, & potentia, sed etiam essentia Dei expressisse videtur, cum dixit, ipsum esse fontem omnium munerum, qui se ceteris omnibus communicat. Eam enim Dei magnitudinem, de qua statim dixit esse infinitam, non eo infinitam esse putauit, quod infinita munera largiretur, sed quod esset omnium bonorum fons, nullius indigens, à quo cætera deriuarentur. Eodem sensu Gregor. Nazian. orat. 38. Deum appellauit pelagus quoddam essentia imensum, & interminatum: Quæ verba tametsi Nicet. in illud eiusdem orationis, *Deus & erat, &c.* de infinitate æternitatis, immanitatis, & incomprehensionis interpretari videatur, reuera infinitatem ipsius esse, & essentia Dei significant. Proxime namque dixerat Nazian. Deum in monte Sina seipsum appellasse nomine, *Qui est*, vt indicaret, in seipso complecti vniuersum, quod est. Nomen autem, *qui est*, vt disp. 9. c. 3. dicemus, ideo de Deo inter cætera propriissime dicitur, quia ipsum per essentiam, & ex se esse significat. Quam sententiam Nazian. eodem loco interpretatur Nicetas his verbis: *At Deus semper est: & vt cum diuinitate Dionysio dicam, vniuersam essentiam in seipso complectitur. Ego enim, inquit Scriptura, Sum primus, & ego postea, & ante me non est alius Deus, nec post me futurus est. Tota enim essentia illius nec principium habens, nec finem habitura, quasi vastum quoddam pelagus essentia est.* Vbi quamuis Nicetas ad durationis infinitatem respexerit, infinitatem tamen secundum esse, in modum à nobis expositum, etiam intellexit. Illis enim verbis, *Antea non est Deus*, non modo durationis, verum etiam dignitatis, & virtutis infinitatem expressit. Perinde namque est dicere, *Ante me non est Deus*, atque à me ipso sum, & à nulla alia causa essentiam, & esse accipio, & hæc est potissima, & prima omnium infinitas, ex qua cætera secundum rationem proficiuntur.

Tertium modum infinitatis in Deo sicut esse Alexander ex eo, quod non est propter alium tanquam propter finem, sed omnia sunt propter ipsum: nam cum Deus careat causa finali, hæc etiam ratione infinitus erit, hoc est, sine fine. Cæterum hoc genus infinitatis non tam essentia, & esse, quam operationis est, vt hac quoque ratione Deus in operando infinitus sit, quia nulla aliare, tanquam causa finali terminatur. De quo genere infinitatis disputat S. Thomas quæst. 19. art. 5. illa itaque infinitas, quæ secundo loco ex mente Alexandri exposita est, est proprium attributum infinitatis Dei secundum essentiam, de quo in hac quæstione disserit.

ARTIC. III.

ARTICVLVS III.

Vtrum possit esse aliquid infinitum actu secundum magnitudinem.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod possit esse aliquid infinitum actu secundum magnitudinem. In scientiis enim mathematicis non inuenitur falsum: quia abstrahenti non est mendacium, vt dicitur in 2. Physic. sed scientia mathematica vtuntur infinito secundum magnitudinem, dicit enim Geometra in suis demonstrationibus, sit linea talis infinita, ergo non est impossibile aliquid esse infinitum secundum magnitudinem.

2. Præterea. Id quod non est contra rationem alicuius non est impossibile conuenire sibi: sed esse infinitum, non est contra rationem magnitudinis, sed magis finitum, & infinitum videntur esse passionnes quantitatis: ergo non est impossibile, aliquam magnitudinem esse infinitam.

3. Præterea. Magnitudo diuisibilis est in infinitum: sic enim definitur continuum, quod est in infinitum diuisibile, vt patet in 3. Physic. Sed contraria nata sunt fieri circa idem: cum ergo diuisioni opponatur additio, & diminutioni augmentum, videtur quod magnitudo possit crescere in infinitum: ergo possibile est esse magnitudinem infinitam.

4. Præterea. Motus, & tempus habent quantitatem, & continuitatem à magnitudine, super quam transit motus, vt dicitur in 4. Physic. sed non est contra rationem temporis, & motus, quod sint infinita, cum vnumquodque in diuisibile signatum in tempore & motu circulari sit principium & finis: ergo nec contra rationem magnitudinis erit, quod sit infinita.

Sed contra, Omne corpus superficiem habet: sed omne corpus superficiem habens est finitum, quia superficies est terminus corporis finiti, ergo omne corpus est finitum. Et similiter potest dici de superficie, & linea: nihil est ergo infinitum secundum magnitudinem.

Respondeo dicendum, quod aliud est esse infinitum secundum suam essentiam, & secundum magnitudinem. Dato enim quod esset aliquod corpus infinitum secundum magnitudinem, vt pote ignis, vel aer; non tamen esset infinitum secundum essentiam: quia essentia sua esset terminata ad aliquam speciem per formam, & ad aliquod indiuiduum per materiam. Et ideo habito ex præmissis, quod nulla creatura esset infinita secundum essentiam, adhuc restat inquirere, vtrum aliquid creatum sit infinitum secundum magnitudinem.

Pulchra
Dionysij v. r.
ba.

11
Nazian.

Nicetas.

12

S. Thom.

37
v. r. q. 1. a.
2. & 9. quod.
art. 1. & 12.
quod. a. 2.
2. Physic.
18 tom.

ne. Sciendū est igitur quod corpus, quod est magnitudo completa, dupliciter sumitur, scilicet mathematice, secundū quod consideratur in eo sola quantitas, & naturaliter, secundum quod consideratur in eo materia, & forma. Et de corpore quidem naturali, quod non possit esse infinitum in actu manifestum est. Nam omne corpus naturale aliquam formam substantialem habet determinatam: cum igitur ad formam substantialem consequantur accidentia, necesse est quod ad determinatam formam consequantur determinata accidentia: inter quæ est quantitas. Vnde omne corpus naturale habet determinatam quantitatem & in maius, & minus: vnde impossibile est aliquid corpus naturale infinitum esse. Hoc etiam ex motu patet: quia omne corpus naturale habet aliquem motum naturalem: corpus autem infinitum non posset habere aliquem motum naturalem: non rectum, quia nihil mouetur naturaliter motu recto, nisi cum est extra suum locum quod corpori infinito accidere non posset: occuparet enim omnia loca, & sic indifferenter quilibet locus esset locus eius. Et similiter etiam neque secundum motum circulem: quia in motu circulari oportet quod vna pars corporis transferatur ad locum, in quo fuit alia pars, quod in corpore circulari, si ponatur infinitum, esse non posset, quia duæ lineæ protraherentur à centro, quanto longius distaret ab inuicem: si ergo corpus esset infinitum, in infinitum lineæ distarent ab inuicem, & sic vna nunquam posset peruenire ad locum alterius. De corpore etiam mathematico eadem ratio est: quia si imaginemur corpus mathematicum existens actu, oportet quod imaginemur ipsum sub aliqua forma, quia nihil est actu nisi per suam formam: vnde, cum forma quanti in quantum huiusmodi sit figura, oportebit quod habeat aliquam figuram, & sic erit finitum. Est enim figura, quæ termino, vel terminis comprehenditur.

Ad primum ergo dicendum, quod geometer non indiget sumere aliquam lineam esse infinitam in actu: sed indiget accipere aliquam lineam finitam actu, à qua possit subtrahi quantum necesse est: & hanc nominat lineam infinitam.

Ad secundum dicendum, quod licet infinitum non sit contra rationem magnitudinis in communi, est tamen contra rationem cuiuslibet speciei eius, scilicet contra rationem magnitudinis bicubitæ, vel tricubitæ, siue circularis, vel triangu-

laris, & similium: non autem est possibile in genere esse, quod in nulla specie est: vnde non est possibile esse aliquam magnitudinem infinitam, cum nulla species magnitudinis sit infinita.

Ad tertium, dicendum, quod infinitum, quod conuenit quantitati, vt dictum est, se tenet ex parte materiæ: per diuisionem autem totius acceditur ad materiā: nam partes se habent in ratione materiæ: per additionem autem acceditur ad totum; quod se habet in ratione formæ, & ideo non inuenitur infinitum in additione magnitudinis, sed in diuisione tantum.

Ad quartum dicendum, quod motus, & tempus non sunt secundum totum in actu, sed successiue: vnde habent potentiam permixtam actui. Sed magnitudo est tota in actu, & ideo infinitum, quod conuenit quantitati, & se tenet ex parte materiæ, repugnat totalitati magnitudinis, non autem totalitati temporis, vel motus: esse enim in potentia conuenit materiæ.

Conclusio est: Non potest esse infinitum secundum quantitatem, aut magnitudinem continuam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod possibile sit esse multitudinem infinitam secundum actum. Non enim est impossibile id, quod est in potentia reduci ad actum: Sed numerus est in infinitum multiplicabilis: ergo non est impossibile esse multitudinem infinitam in actu.

2. Præterea. Cuiuslibet speciei possibile est esse aliquod indiuiduum in actu, sed species figuræ sunt infinitæ, ergo possibile est esse infinitas figuras in actu.

3. Præterea. Ea quæ non opponuntur ad inuicem, non impediunt se inuicem: sed posita aliqua multitudine rerum, adhuc possunt fieri alia multa, quæ eis non opponuntur, ergo non est impossibile aliqua iterum simul esse cum eis, & sic in infinitum, ergo possibile est esse infinita in actu.

Sed contra est quod dicitur Sapient. ii. Omnia in pondere, numero & mensura disposuisti.

Respondeo dicendum, quod circa hoc fuit duplex opinio. Quidam enim sicut Aui. & Algazel dixerunt, quod impossibile est esse multitudinem actu infinitam per se, sed infinitam per accidens multitudinem esse non est impossibile. Dicitur enim multitudo esse infinita per se, quando requiritur ad aliquid vt multitudo in-

finita

Art. i. huius
quali. ad 2o

32
Verit. q. 2.
a. 10. Et 9.
quodl. a. 1. 2o

Super 3.
vbijs.

finita sit, & hoc est impossibile esse, quia sic oporteret quod aliquid dependeret ex infinitis: Vnde eius generatio nunquam compleretur, cum non sit infinita pertransire. Per accidens autem dicitur multitudo infinita, quando non requiritur ad aliquid infinitas multitudinis, sed accedit ita esse. Et hoc sic manifestari potest in operatione fabri, ad quam quaedam multitudo requiritur per se, scilicet quod sit ars in anima, & manus mouens, & martellus, & si hæc in infinitum multiplicarentur, numquam opus fabrilis compleretur, quia dependeret ex infinitis causis. Sed multitudo martellorum, quæ accedit ex hoc, quod vnum frangitur, & accipitur aliud, est multitudo per accidens: accedit enim quod multis martellis operetur, & nihil differt, utrum vno, vel duobus, vel pluribus operetur, vel infinitis, si infinito tempore operaretur: per hunc igitur modum posuerunt, quod possibile est esse actu multitudinem infinitam per accidens. Sed hoc est impossibile, quia omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt secundum species numerorum. Nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per vnum. Vnde impossibile est, esse multitudinem infinitam actu siue per se, siue per accidens. Item omnis multitudo in rerum natura existens est creata: Et omne creatum sub aliqua certa intentione creatis comprehenditur: non enim in vanum agens aliquod operatur. Vnde necesse est, quod sub certo numero omnia creata comprehendantur. Impossibile est ergo esse multitudinem infinitam in actu, etiam per accidens. Sed esse multitudinem infinitam in potentia possibile est: quia argumentum multitudinis consequitur diuisionem multitudinis. Quanto enim aliquid plus diuiditur, tanto plura secundum numerum resultant. Vnde sicut infinitum inuenitur in potentia in diuisione continui, quia proceditur ad materiam, ut supra ostensum est, eadem ratione etiam infinitum inuenitur in potentia in additione multitudinis.

Ad primum ergo dicendum, quod vnumquodque, quod est in potentia reducitur in actum secundum modum sui esse: dies enim non reducitur in actum, ut sit tota simul, sed successiue & similiter infinitum multitudinis non reducitur in actum, ut sit totum simul, sed successiue: quia post quamlibet multitudinem potest sumi alia multitudo in infinitum.

ARTIC. IV.

Ad secundum dicendum, quod species figurarum habent infinitatem ex infinitate numeri. Sunt enim species figurarum, ut trilaterum, quadrilaterum, & sic inde. Vnde sicut multitudo infinita numerabilis non reducitur in actum, quod sit tota simul, ita nec multitudo figurarum.

Ad tertium dicendum, quod licet quibusdam possit, alia poni, non sit eis oppositum: tamen infinita poni, opponitur cuilibet speciei multitudinis. Vnde non est possibile esse aliquam multitudinem actu infinitam.

DISPUTATIO XXVI.

De infinito in rebus creatis.

Dua extrema sententia de hac re. cap. 1.

Infinisum secundum magnitudinem fieri posse probatur. cap. 2.

Non repugnare infinisum multitudine, eodem modo ostenditur. cap. 3.

CAPVT I.

Dua extrema sententia, de hac re.

Materia horum articularum philosophicæ disputationis propria est, & ad Theologicas veritates parum necessaria. Nam quod attinet ad Dei potentiam, an infinitum huiusmodi facere possit, ex eo solum definiri debet, quod infinitum in se contradictionem implicet, aut non. An vero ratione magnitudinis, aut multitudinis infinitum esse repugnet, ex philosophiæ principijs solum examinandum est. Verum, quia disp. 63. probandum nobis est, Deum infinita actu cognoscere id, quod aliqui immerito negant: quia alioqui ea omnia posset efficere, quod putant absurdum: idcirco in præsentia paucis ostendam, an repugnet infinitum multitudine, aut magnitudine, a Deo fieri. Est autem præmitendum, genus hoc infinitatis alterius prorsus rationis esse, quam infinitum secundum essentiam; idemque dicendum de infinito in qualitate secundum intentionem: quamvis enim crescente quantitate, aut qualitate, crescat etiam essentia, & natura quantitatis, & qualitatis, ac proinde cum infinita intentione, aut extensione essentia qualitatis, & quantitatis infinita sit; neutra tamen est essentialiter, aut secundum esse infinita, illo nempe genere infinitatis, quo hæcenus diximus Deum infinitum esse: quia tam qualitas secundum intentionem, quam quantitas secundum extensionem infinita, causam sui esse haberet: ac proinde termino ex parte causæ finiretur. In questione igitur proposita non pauci Theologi assueverant, infinitum actu secundum magnitudinem, aut multitudinem a Deo fieri non posse, quod plurima sequantur absurda, si dicamus aliquid infinitum fieri posse. In hac sententia fuerunt S. Thomas, Caietanus, & alij Thomistæ in artic. 3. & 4. huius quæstio. Bonauent. in 1. distinct. 43. articulo 1. quæst. 3. Durand. quæst. 2. Marfil. in 1. quæst. 42. artic. 7. concl. 6. & 7. & ex philosophis nostræ ætatis non pauci. Rationes vero, quibus id probant, inferius referemus; ex earum namque solutionibus manifestum fiet, nihil omnino absurdi contra oppositam sententiam euidenter deduci.

Opinio

Infinisum huiusmodi non potest prima sententia dici.

Infinisum huiusmodi non potest prima sententia dici. S. Thomas, Caiet., Bonauent., Durand., Marfil., Recentiores.